

gerere, ut cogatur (ait) multis cum lacrymis usurpare illud Propheticum, *Filium matris meae pugnaverunt adversus me.*

Et quidem "in ea causa resistitis (ait) in qua vestrum Ecclesiarum salus ac libertas agitur, & in qua nos pro juribus & dignitate Episcopali in isto Regno tuenda, ab aliquibus ordinis vestri piis & fortibus viris appellati absque mora insurreximus, & jam pridem in gradu stamus nullas privatas nostras rationes secuti, sed debita Ecclesiis omnibus sollicitudini & intimo amori erga vos nostro satisfacturi.

XLII. Scribit deinde, quod ex eorum litteris intelligat, omnia in eorum Conventu *metu* gesta esse; redarguitque eos, quod timuerint, ubi non erat timor. "Id unum (ait) vobis timendum erat, ne apud Deum hominibusque redargui jure possitis, loco atque honori vestro & Pastoralis officii debito defuisse.

XLIII. Officii eorum fuisse dicit, "Sedis Apostolicæ autoritate studia sua adungere, & Pastoralis pectore, humilitate, sacerdotali causam Ecclesiarum vestrarum, apud Regem agere, ejus conscientiam de tota re instruendo etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi.

Eam in condescendendo facilitatem, seu verius ignaviam increpat; *Quis* (inquit) *ausus est invidia se offerre, quis vel vocem unam emisit memorem pristina libertatis.*

XLIV. Illam litterarum partem non sine animi horrore se legere potuisse scribit, in qua dicunt: *Jure suo decedentes, illud in Regem contulisse:* "Quasi (ait) Ecclesiarum, quæ curæ vestræ creditæ fuere, essetis Arbitri non Custodes, & quasi Ecclesiarum ipsarum & spiritualium earum jura possent sub seculari potestatis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum libertate in servitutum dare deberent.

XLV. Et ne nimium dissimulando videretur officio suo deesse, aut factum tacite approbare, ait: "Quamobrem per præsentem litteras tradita nobis ab omnipotente Deo autoritate improbamur, rescindimus & cassamus quæ in vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliæ cum omnibus exinde securus & quæ impetrum attentari contingat, eaque perpetuo irrita & inania declaramus, quamvis, cum sint ipsa per se manifestò nulla, cassatione aut declaratione hujusmodi non egeant.

XLVI. Quid receptis his litteris egerit Clerus Gallicanus, aut quid reposuerit, nescio; hoc scio, usum Regaliæ tam quoad spiritualia, id est, collationem Beneficiorum, quam temporalia in omnes Ecclesias auctoritate regiâ, non obstantibus his Sedis Apostolicæ litteris, juxta declarationem regiam de ann. 1673. ejusque modificationem de anno 1682. inductum esse; & Regem de facto uti jure Regaliæ in omnibus Regni sui Ecclesiis Sede Episcopali vacante.

Tria præcipue sunt circa quæ usus Regaliæ nonnihil limitatus apparet.

XLVII. Primum circa legitimum. Jam vice privilegii Regaliæ receptum erat, quod omnia beneficia tempore aperturæ Regaliæ *litigiosa* caderent in Regaliam. Hinc contingebat, quod imminente morte alicujus Episcopi possessoribus Beneficiorum moverentur lites; ut morte adveniente, Beneficia ipsorum jure Regaliæ impetrari possent: hoc quia multis fraudibus, & injustis vexationibus portam aperiret, declaratum est per Edictum de 10. Februarii 1673. *litigiosum* non facere locum Regaliæ, nisi contestatio fuerit inter Partes *sex mensibus* ante obitum Episcopi aut Archiepiscopi.

XLVIII. Manet interim hoc Regaliæ privilegium, ut si beneficia litigiosa, modo *lis sex mensibus* ante obitum Episcopi instituta & formata fuerit, cadant sub Regalia, ipse Rex ea tamquam verè vacantia jure Regaliæ conferat.

Hoc privilegium alio non videtur nisi posse fundamento, nisi quod credatur, regaliam habere locum, dum non constat, Ordinarium revera ritè contulisse; ipsi quoque locum vacantem esse de jure & facto repletum.

XLIX. Pridem enim Constitutione regiâ quæ vulgò dicitur *Philippina*, editâ in Octobri anno 1334. & renovata 5. Maji 1346. quam refert *Le Maître* in tractatu de Regaliæ c. 2. declaratum fuit, Reges Galliarum esse & fuisse in possessione conferendi jure Regaliæ præbendas, dignitates & Beneficia vacantia de jure & de facto *vel de jure tantum vel de facto tantum.*

L. Vacat autem *de jure* tantum, quando quis incumbit possessioni coloratæ ex prætenso jure titulo præcedenti.

De facto tantum vacat, si collatio Beneficii facta sit, sed possessio corporalis nondum fuerit capta: quia revera titulum & jus habet Collatarius; sed tantum deest possessio, quæ est *facti*: uti latius exponit citatus Auctor; unâ monens, conformiter ad hanc regiam declarationem, infinita propemodum esse Parliamentorum arrecta; quin & judicatum dicit Beneficium tamquam vacans in Regalia impetrari posse tametsi ipse Collatarius petierit à Capitulo ad possessionem admitti; sed tamen recusante Capitulo, admittis non fuerit.

LI. Quin nec capta possessio per procuratorem impedit vocationem in Regalia. Licet enim de jure possessio Beneficii capi queat per procuratorem; censeturque fictione juris *per se* accepisse, qui accepit per *procuratorem*; id tamen in Regalia non procedere sustinent Regii Ministri, dicentes, Regaliam non admittere ullam *fictionem*. *Le Maître* loco citato.

LII. Secunda limitatio usus Regaliæ facta ad postulationem Cleri Gallicani occurrit in declaratione de anno 1682. qua Rex declarat, quod nulli impostero conferri poterit in nulla Ecclesia Cathedrali vel Collegiata per ipsum aut Successores suos, Decanatus aut Beneficium aliud habens annexam curam animarum vacans in Regalia, aut Archidiaconatus, Præbendæ Theologicales Pœnitentiariatus, aut alia Beneficia quorum Titulares speciale jus habent, nomine proprio exercendi aliquam jurisdictionem aut functionem spirituales & Ecclesiasticam, nisi habeant ætatem, gradum, & aliasque conditiones per sacros Canones & ordinationes regias requisitas.

Volens ulterius, ut Provisi de similibus Beneficiis jure Regaliæ, se stant Vicariis Capitulorum, si Sedes adhuc vacent; aut ipsis Prælati, si novi successerint, ad obtinendam approbationem & missionem Canonicam, priusquam ullam functionem exercent.

Ut intelligatur in quo consistat hæc moderatio Regaliæ, notandum, quod Rex utendo jure Regaliæ Sede vacante, non tamquam Patronus præsentet ad beneficia vacantia; sed intrando in jus Episcoporum, *pleno jure* conferat, titulumque Canonicum beneficiorum se dare sustineat: ideòque nec ullâ Ordinarîi institutione autorizabili opus esse; sed provisum vigore Regiæ collationis posse possessionem beneficii accipere, ac si ab ipso Episcopo collationem & institutionem accepisset: de quo jure capite plura sequenti.

LIII. Cum autem jam receptum esset, quæcumque beneficia, exceptis solis Parochialibus, ad provisionem Episcoporum quocumque titulo spectantia, esse subiecta Regaliæ, atque jure Regaliæ à Rege posse *pleno jure* conferri; etiam Decanatus aliæque supra expressa beneficia *pleno jure* in Regalia vacantia conferebantur; ita ut functiones suas vi hujus collationis absque Ordinarîi approbatione vel missione Canonica obire possent: ideòque videtur Rex usum Regaliæ nonnihil temperasse dum provisos de Decanatu, Archidiaconatu aliis-

aliisque beneficiis curam animarum, aut jurisdictionem vel functionem Ecclesiasticam specialem annexam habentibus ad Ordinarios, pro obtinenda *approbatione & missione canonica*, remittit.

LIV. Tertio videtur temperatus usus Regaliæ; eò quod in Edicto de anno 1682. declarat Rex, sola illa beneficia vacantia in Regalia, quæ *revera* spectant ad provisionem Episcopi defuncti; ita quidem, ut si Episcopus & Capitulum conferant per *turnum*, aut per *vicem*; aut præbendas diversent; ut collatio unius lateris spectet ad Episcopum, alterius vero ad Capitulum. Rex jure Regaliæ non succedat, nisi in jus Episcopi; Capitulum verò jure suo utatur, ac si Sedes non vacaret.

Si autem collatio spectet conjunctim ad Episcopum & Capitulum; tunc aperta Regalia mittet Rex Commissarium, qui unâ eum Canonicis eligat, supplens locum Episcopi.

Sin verò Episcopus intret Capitulum ut in qualitate Canonici cum aliis Canonicis aliquem præsentet; cui dein in qualitate Episcopi ad præsentationem Capituli conferat & instituit, eo casu rursus Commissarius Regis in præsentatione habeat suffragium Episcopi; ipsaque præsentatio Capituli fieri debet ipsi Regi; ipsaque provisio nomine Regis expediri; quemadmodum debuisset exhiberi Episcopo; & ejus nomine collatio sine institutio fieri ita ut Rex jure Regaliæ succedat in totum jus Episcopi, permittendo illatum jus Capitulum.

LV. Jam enim auctoritate auctoritatum invaluerat, ut libere & solus Rex conferret Præbendas vacantes in Regalia, tametsi collatio spectaret ad Capitulum, & Episcopus dumtaxat haberet suffragium *ut Canonici*; quia, in quibusdam, Rex non patitur *compartem*; & ita judicatum contra provivum per Capitulum Martiliense 31. Augusti 1681. refertur in libro cui titulus *Journal du Palais* tom. 1. pag. 13.

LVI. Deinde in eodem Edicto anni 1682. declarat se in hæc modificationes consentire sine præjudicio sui juris Regaliæ; quo uti intendimus (ait) eodem modo quo Prædecessores nostri Reges, & nos hæcenus usi sumus.

LVII. Cum autem jus Regaliæ, & quæstiones ejus occasione incidentes coram solis iudicibus regis, imò solo Parlamento Parisiensi agerentur & deciderent; mirum quàm jam illud Regaliæ extensum, quotque privilegii tandem cumulatim sit; adeò ut Pragmatici Gallici dicere non dubitent: *In Regalia omnia sunt extra ordinaria*, *Fevret. De Abusu lib. 2. c. 6. n. 14.*

LVIII. Imprimis sustinent, Regem jure Regaliæ succedere in plenum & primitivum jus Episcoporum: ideòque Regem Beneficia ad provisionem Episcopi spectantia posse conferre eo jure, quo primis seculis ipsi Episcopi de omnibus Beneficiis suæ Diocesis disponebant; quando necdum præsentatione Patronorum ligabantur. Hinc consequenter deducunt, Regem liberè conferre Beneficia juris Patronatus Ecclesiastici; tametsi præsentatio ad Monasterium aut Capitulum spectet; modo collatio seu *institutio* ad Episcopum pertineat; quia Rex utitur jure *primitivo* Episcopi, quod per præsentationem Patroni non restringebatur; & ita definitivè judicatum anno 1683. referturque ipsum Arretum cum fundamentis tum ab Advocato Regaliæ, tum Advocato Regio adductis inter probationes libertatum Ecclesiæ Gall. c. 16. n. 60.

LIX. Ulterius Ministri Regii reputantes Regaliam, etiam quoad collationem Beneficiorum pro jure Regio, & Coronæ, censent, huic juri Papam nullatenus derogare posse, neque ullas in eo partes habere.

Quare nec vacantia in Curia, si Regalia tempore vacationis fuerint aperta, Papa conferre potest; sed à Rege conferuntur, uti notavit *Le Maître* in tractatu De Regalia c. 11. "Quia (ait) vacatio in Regalia est extraordinaria, & anomala, in qua Papa solam habens inspectionem, non potest se dicere Ordinarium Ordinariorum; neque

sibi ullum jus sive titulo devolati, aut alio quocumque vindicare: Nam Regalia in aliqua Ecclesia aperta, Beneficium illius vacare non potest ad alterius dispositionem, quam Regis.

LX. Imò ex sententia Pragmaticorum Galliarum Rex in hoc jure nullum agnoscens Superiorem, à nullo, etiam Papa, præveniri potest; neque negligentia ejus suppleri; tametsi intra tempus à Canonibus Patronis & collatoribus præfixum, non contulerit. Quin juxta declarationem Ludovici XII. anni 1499. Regalia durat 30. annis; ita ut sufficiat intra illud tempus Beneficium, quod aperta Regalia vacavit, conferri. *Le Maître c. 5.* Quod hodie nonnihil temperatum; de quo infra.

LXI. Deinde addit; quod "si inter Regaliam & Provisum ab Ordinario fuerit lis; ipsique Regaliam ad judicatum possessorium *momentaneum* seu *recedentia*, ut vocant, manseritque; hoc modo in possessione & lite per 20. annos postmodum moriatur, licet tunc Regalia non esset aperta, nihilominus vacaret Beneficium in Regalia, ait *Le Maître*: Nam (ait) est principium notorium in materia Regaliæ, quod collatio semper revertatur ad Regem, quousque collatio Regis habuerit suum *plenum & integrum* effectum; ipse Regalista manserit in pacifica possessione, vel per judicium contradictorium & definitivum fuerit exclusus. Hæc ille, qui candidè dein factetur, id esse in favorem Regaliæ contra collationem Ordinarium, & ejus Provisum.

Deinde monet, quod Regalista nequeat à lite in favorem Provisi ab Ordinario desistere; aut cum eo transigere sine consensu Regis: aliàs Rex possit rursus Beneficium jure Regaliæ conferre.

LXII. Ulterius progressi Pragmatici, privilegii Regaliæ annumerant, quod constitutiones Apostolicæ, vel statuta, & consuetudines Ecclesiarum, non astringunt Regem, quin possit uti & frui pro libito voluntatis jure suo Regaliæ. Ita Rozæus in Tractatu Juris Regaliorum *Privil. 3. n. 1.* Id ipsum asserit Broudeus in notis ad Lovetium *Litt. V. n. 2.*

Hinc concludunt, Regem in usu Regaliæ non esse subiectum regulis Cancellariæ; quod adeo certum indubitatumque erat Philippo Probo in suprema Curia Bituricensi Advocato, ut cum probare vellet, quod licet in Ecclesia Gallicana esset generalis consuetudo, ut nullus in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata obtineat Dignitatem, nisi sit Canonicus, hæc tamen consuetudine Regem jure Regaliæ Dignitatem conferentem non astringatur, in probationem adducat hoc argumentum: "Si enim non obstant collationibus jure Regaliæ factis regulæ Cancellariæ, prout nec etiam jus commune, ut amplè probatur in pluribus locis præsentis operis, ergò multo minus obstabit hæc consuetudo generalis, aut particulatis, cum non sit majoris & efficacioris virtutis, sed minoris, ut patet intuitu." *Quæst. 3. 1. De Regalia.*

Idem asseruerunt post Probum communiter Pragmatici Galli; atque in specie, Regulam *De Verisimili Notitia* non constringere Regem; sæpius judicatum fuisse refert Broudeus loco citato; asseritque anno 1572. judicatum pro Regaliam, non obstante, quod provisio ei fuisset facta à Rege in civitate Parisiensi, eadem die & hora obitus ultimi possessoris defuncti in civitate Meldensi, decem miliaribus Gallicanis distante Parisiis. Sufficit enim (ait Broudeus) quod is per cujus obitum impetratum est Beneficium, obierit, & Beneficium ejus verè vacet; & hoc casu vulgò jactatur, *opinionem veritate præveniri.*

Similiter Regulam de 20. diebus sive de infirmis resignantibus non ligare Regem. Parliamentorum arretis, & Pragmaticorum auctoritate receptum est: quemadmodum notat Broudeus ad Lovetium *Litt. R. n. 47.* & jam pridem notavit cæterorum Pragmaticorum in propugnandis Regaliæ prærogativis facile primus Carolus Molinæus ad Regulam *De infirmis resignantibus n. 18.* ubi



quæri: "Quid si Rex ex causa resignationis nominaverit: sed Resignans infirmus erat, & ex infirmitate eadem infra 20. dies à die prædicti consensus vitæ functus est, an Rex iterum per obitum nominare possit? Postquam nonnulla adduxi, quæ suadere videntur, Regem iterum nominare non posse, contrarium tamen de facto notoriè servari, deinde subiungitur: "Breviter ego dico, quod ipsa regula 18. (*De infirmis resignantibus*) non potest habere locum in Rege. Quod autem simile servatur in Rege, non est in vim dictæ Regulæ; sed quia Rex Princeps supremus est, qui nominationem suam ita tacitè vel expressè limitare solet. Et consequenter, deficiente conditione tacitè vel expressè, videlicet quia infirmus non supervixit dictos 20. dies, deficit consensus, & sic nominatio Regis, & consequenter resignatio, tamquam sine ejus consensu facta, & sic de integro per obitum potest Rex alium nominare.

Regulæ quoque *De publicandis Resignationibus* non esse locum in Regalia, testatur Broudæus loco citato; quamvis hæc ubi & duæ præcedentes in Regno Galliarum receptas esse nullus ambigat.

Quin & Veteribus omnibus jam pridem persuasum fuit, Decretum de *Pacificis Possessoribus* insertum Pragmaticæ Sanctioni, & cui contenta Regula Cancellaria *De Triennali Possessore*, non posse iuri pacificum Possessorè contra Regaliam nisi triginta annorum continuâ & pacificâ possessione fuisse munitus, uti videri potest apud Ruzæum *Privilegio* 23. ubi n. 2. ait: "Hodie in Regalia etiam si quis possederit Beneficium 10. vel viginti annis pacificè, si aperiatur Regalia, & vacet Beneficium vel de jure vel de facto, semper Rex illud jure Regaliæ concesserit. Et ratio est, quia contra jura quæ sunt reservata Principi in signum superioritatis non præscribitur.

Plures idem asserentes citat Broudæus *Litt. Fr. 2.* qui unâ observat, Decretum hoc hodie etiam in Regalia obtinere; nec per Regaliam possessorem Canonice provisionem turbari posse post trium annorum pacificam possessionem juxta articulum 27. Edicti anni 1606. evulgati ad postulationem Cleri Gallicani.

LXIII. Philippus Probus *quæst. 34.* quærit: "Regaliâ aperta, an Rex beneficiorum & dignitatum ad plenam dispositionem Episcopi, Episcopatus regaliæ affecti pertinentium, resignationes admittere possit? respondeo (ait) Regalistas tenere quod sic, si illæ sint purè simpliciter factæ, aut causâ permutationis, etiam *in favorem*; quod ultimum videtur durum, cum in talibus dicatur, Simoniam labem intervenire.

Ipsæ quoque Ruzæus *privilegio 32.* resignationes *in favorem* à Rege admitti non posse dicit; quæ ita per Arrestum supremæ Curie decisum fuisse testatur.

Verum & ad hanc resignationem jus Regaliæ posteriora Parliamentorum Arresta extendisse monet Broudæus allegato n. 47. & ex illo Carolus Fevretius *De Abusu lib. 2. c. 6.* idque etiam *retenta pensione*; quia, inquit, Rex Franciæ in materia Regaliæ non tantum fungitur vice *Ordinarii*, sed etiam *summi Pontificis*. Addunt autem, mirum non esse, si Ruzæus aliter tenses; quia eo tempore resignationes *in favorem* parum erant in usu; successu vero temporis factæ sunt quasi *ordinariæ* in Curia Romana; nec conceduntur *dispensatè*, sed quasi res jure communi permittæ; Rex igitur hujus juris communis particeps esse voluit.

Ita Fevretius qui & addit, Regem dispensare super ætate; item posse conferre sub conditione *si vacet*.

LXIV. Hæc aliaque Regaliæ privilegia & prærogativæ, quæ passim à Pragmaticis Gallis annotantur, si ritè expendantur, eorumque prima origo inquiratur non dubium, quin potiore jure de his quam de ipsa Regalia dici poterit cum Renato Choppino *lib. 1. De Sacra Polit. tit. 7. n. 9.* non ex vetustis monumentis, sed ex Regiis Tabulis

solum, Patriis; Senatus consultis petendum esse privilegiorum tractationem. Quin si ratio horum privilegiorum omni secluso humano affectu singulatim æquâ lance libretur, verendum, ne multorum una ratio fuisse reperiat illa, quam in sua declaratione anni 1682. agnovit Rex ipse Christianissimus, nimirum, *Parlamenti Regii Parisiensis Zelus & ordinarius affectus pro augmentatione juriæ Regiæ Coronæ* qui (ut ait Rex) ab aliquot annis *dedit nonnulla Arresta qua non parum usum Regaliæ extenderunt*.

LXV. Interim & illud fatendum est, multa tum in Regulis Cancellariæ, tum Pontificiis & Canonici Constitutionibus quibus privilegia Regaliæ contrariari videntur, merè disciplina, & juris positi occurrere; & quibus per contrarium usum derogari potest; unde his contrarius usus tolerari, modò ea quæ jus naturæ, ipsaque recta ratio in provisione Beneficiorum requirit, de reliquo observentur potest; præsertim cum & Pontifices & Concilia non semel declarant, Constitutiones tamen generaliter expellās, personas Regum ob eorum excellentiam, & specialem prærogativam non comprehendere, uti in ipsa quoque ultima generali Synodo Tridentina expressum est; atque signanter *sess. 25. c. 9. De Reform.* ubi postquam specialem modum probandi Jus Patronatus proposuit mox subjicit: "Exceptis illis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes, jural imperii in Dominis suis habentes, pertinent. Imò etiâ hæc exceptio nominatim non esset expressa, nihilominus Reges non comprehendere, nisi nominatim sint expressi, non semel & ipsi Romani Pontifices declarant, uti circa Expectativas sublatis *sess. 24. c. 9. De Reform.* ostenditur capite sequenti.

LXVI. Hoc igitur Regii Ministri, qui juribus Coronæ & regaliæ amplificandis studere videntur, præcipuè curandum, ut Rex regaliâ ejusque privilegii in provisione beneficiorum ita utatur, ut si regulis & Constitutionibus humanis eximatur, ipsas tamen regulas, quas ratio naturalis & Divina, nullo privilegio aut longo usu, vel Arrestorum auctoritate flexibilis aut mutabilis servari præcipit; ita ipsa beneficia sine Simonia, sine acceptione personarum, non ad favorem privatorum, sed in utilitatem & ædificationem Ecclesiarum conferantur; eique auctores sint ut sequatur exemplum S. Ludovici in conferendis beneficiis; ut si eum in usu regaliæ Patronum sequi non pigeat, etiam in modo eorum conferendi imitetur: de quo infra titulo *De cavenda acceptione personarum in collatione Beneficiorum*.

Illud quoque merito inculcant Ministri Regii, verum haud esse assertum Molinæ ad regulam Cancellariæ *De infirmis resignantibus* n. 135. "Canonicatus, Sacella & similia Beneficia, ad meram & perpetuam Regis collationem spectantia, magis *secularia & profana* Beneficia sunt, quam Ecclesiastica." Ut enim non inquiramus, qualia in sua origine quædam ex illis fuerint, hoc competentum est, Canonicatus, præsertim Cathedralium Ecclesiarum, non posse inter *profana Beneficia* computari utpote qui non exigunt jurisdictionis & regiminis Ecclesiastici portionem annexam habent. Scitur enim Capitulum Cathedralium ex Canonicis constans *Senatum* Ecclesiæ hodie constituere, atque unâ cum Episcopo præcipua Ecclesiæ negotia absolvere; quin & Sede vacante in regimen & jurisdictionem Episcopi succedere; quemadmodum parte I. tit. 8. c. 1. ostendimus. Ut propterea admodum perniciosum sit Ecclesiis, dum Canonicatus tamquam *profana* quædam Beneficia distribuuntur; non ut Ecclesiis ipsis, sed potius personis provideatur; & non ratò ipse Ecclesiæ *Senatus* ex pueris Senatorum Regiorum componatur.

## CAPUT IX.

## De Nominatione regia extra regaliæ &amp; de oblati ad Monasteria.

1. Rex plurimum Ecclesiarum Patronus.
2. Reges præstant Beneficiorum plenam collationem.
3. Comitissa Flandriæ jus conferendi pleno jure habuisse olim videtur.
4. Similiter Reges Angliæ.
5. Reges Galliarum jure Regaliæ pleno jure conferunt.
6. Super hoc jure contentio inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Gallicarum.
7. Jus hoc Regi competere posse ex tacito vel expresso consensu Sedis Apostolicæ facit Bonifacius.
8. Rex huic Pontificis declarationi acquiescit.
9. Reges & Principes etiam nostri pleno jure collationis utuntur.
10. Carolus Molinæ credit Beneficia ad plenam collationem Principum spectantia esse potius secularia & profana, quam Ecclesiastica.
11. Animadversio in dictum Molinæ.
12. Habentes collationem a Principe, curam animarum debent habere ab Ordinario.
13. Principes etiam aliis titulis, quam Jure Patronatus Beneficia conferunt.
14. Concessit Leo X. Carolo V. ut nullus ad Principales Dignitates seculares nominetur nisi ipsi gratus.
15. Vigore hujus Indulti Principes nostri nominant ad primarias Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.
16. Indulta conferendi Præbendas Regibus concessa interdum tantum personalia.
17. Indultum Regibus Galliarum datum in favorem Parlamenti Parisiensis.
18. Hoc Indultum quomodo extensum.
19. Jam pridem Imperatori competiit jus Primiarum Precum; referturque antiqua eorum formula.
20. Videtur primitus Imperatori competisse ex antiqua consuetudine.
21. Quomodo hodie his utatur Imperator?
22. Hæc preces per Synodum Tridentinam non consentur sublata, licet sint species gratiæ expectatiæ.
23. An Regi Galliarum competat jus collationis unius præbende titulo felicitatis ad Regnum adventus?
24. Rex Galliarum in adventu suo ad Regnum habet jus offerendi unum Monasterium.
25. Hoc jus videtur provenire ex Jure Patronatus.
26. Qui hoc jure frui possint?
27. Divites eo jure non gaudent.
28. Restringitur hoc jus ad Monasteria fundationis Regiæ.
29. Monasteria Ordinis S. Augustini non subjecta.
30. Quid si dubitetur, num sit fundatio Regiæ.
31. Monasteria non nisi uno oblato gravari possunt.
32. Debet oblati nutriri in Monasterio ut alter Religiosus.
33. Cogi potest, ut habitet in Monasterio; non tamen teneatur suscipere vestem Religiosam.
34. Rex Galliarum quadam Monasteria ob paupertatem ab hoc onere exemit.
35. Etiam Monasteria mulierum huic juri subjecta.
36. Principes nostri eo quoque utuntur in Monasteriis sanctorum, quam mulierum.

I. **Q**uin Reges ac supremi Principes Ecclesiarum, quas Majores ipsorum vel fundarunt, vel dotarunt, Patroni sint; & titulo Juris Patronatus etiam jure præsentandi gaudeant, nemo negaverit; usulque juris illius notissimus est.

II. At præstant Reges & Principes sibi ut Patronis, non tantum competere simplicem præsentationem, qualis omnibus Patronis de jure competit; sed plenam ac liberam Beneficiorum collationem: ita ut præter Regiam hanc collationem, vel donationem, non requiratur alia institutio auctorizabilis sive tituli collativa; sed tantum institutio corporalis, sive immissio in possessionem.

III. Et quidem Comitissa Flandriæ jam pridem usam fuisse constare videtur ex *Capit. fin. De Concess. Præbende*. Hic scribit Honorius III. Episcopo & Præposito Capituli Cameracensis: "Cum dilecta in Christo filia Comitissa Flandrensis fecerit Promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus non obtinet patronatus, & donationes eorum in manibus posuerit alienis.

Quamvis enim Pontifex concessiones ab ea Comitissa factas non vacantibus beneficiis, vel donationes alteri cuidam commissas, improbet, nihil tamen improbat, imò nec attingit eorum quæ pertinent ad beneficiorum, jam vacantium collationem seu concessionem seu donationem Comitissæ huic ratione juris Patronatus competentem, ait Boëtius Episcopus in Tractatu *De Regalia* vel *Jure Principum* in beneficiis Ecclesiasticis n. 4. "Quinimo (pergit Auctor) contra satis hinc apparet, Comitissam vel Comitissam Flandriæ semper solet singularia Beneficia Ecclesiarum, in quibus jus obtinebat Patronatus, absolute conferre." Qui & ibidem ostendit, donationis verbum, quo hic utitur Pontifex, de simplici præsentatione accipi non posse; sed pro absoluta donatione seu collatione accipiendum esse rectè; notat, similis donationis sex præbendarum Sacerdotalium eidem Comitissæ competentis mentionem occurrere in *Cap. 40. De Testibus*.

IV. Reges Angliæ hoc quoque jure jam pridem usos fuisse evincit Decretalis Innocentii III. cujus fragmentum extat in *Cap. 6. De Consuetudine*, & integra apud Antonium Augustinum in *Cap. 4. eodem titulo* in tertia Decretalium collectione.

In hac igitur integra Decretali de Rege Angliæ scribit Innocentius III. "Decanatum & Præbendas ipsius Ecclesiæ (S. Petri de Curia Cænomaniensis) idem Rex & Progenitores conferrebant, Diocæsano Episcopo etiam incon-sulto.

V. Reges Galliarum Beneficia jure Regaliæ pleno jure conferre, & jam pridem contulisse ambigi nequit.

Extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ c. 16. n. 46. instrumentum collationis Canonicatus vacantis in Regalia de anno 1422. in quo dicitur: "Beneficiorum Ecclesiæ vacantium dictæ Regaliæ vigente, collatio atque omnimoda dispositio jure Regaliæ & Regiæ dignitatis ratione, pleno jure noscatur pertinere ad nos,

VI. Quin & tempore Philippi Pulchri hoc jure usos fuisse Reges Galliarum, constat ex contentione facta acri super eo jure inter ipsum Philippum & Bonifacium VIII. cujus contentio nec non litterarum hinc inde scriptarum meminit Austerius Præfatus Tolosanus in sua Repetitione ad *Clem. 1. De Officio Ordinarii*; & antiquus Glossographus ad *Cap. 13. De Elect. in 6.* quæ è recentiore Corpore Juris per Correctores Romanos sublata sunt.

VII. Esti autem Pontifex verbis sat acerbis hoc præsentum jus collationis improberit, nihilominus in quadam Bulla contentione hac durante emissâ, fatetur, jus illud Regibus posse competere, saltem accedente con-